



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi

Clagius, Thomas

Coloniae Vbiorvm, 1659

XXII. Iduum Sextilium dies.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11544

Divæ Lindenfi dependerunt: quorum alterum eræ numisma ex argento deauratum, duûm propè Philippæûm pondo, alterum brachiolum itidem argenteum, unius pondo Philippæi. Atque illud quidem, quod filiolo suo gestandum paraverant, post eisdem obitum consultius Deiparæ dedicandum censuerunt, hoc verò monumentum esse voluere feliciter editæ in lucem novæ prolis. Gravida enim mater cum ad fortuitum hominis cujusdam, qui brachium enormiter ac fædè læsum habebat, aspectum confectata vereretur, ne qua forte noxa, aut saltem nævus proli inde oboriretur, votû Deiparæ pro incolumitate partus fecit: quem quia feliciter, sine omni corporis vitio enixa est; beneficii memor & grata, comitante ultro conjuge, monumentum pedes Lindenfi deportavit.

C A P V T XXII.

Dies Iduum sextilium.

§ Ivel ob unicum Assumptionis B. V. Festum, Augustus mensis augusto Mariæ nomini, ne dicam Numini debetur; quod initio proximi capitis diximus, quid sibi non vendicent festa tum B. V. ad Nives ipsis Nonis Augusti; tum S. Dominici (qui & ipse VIII. Id. Augusti cælo natus est; quanquam natalis ejus prid. Non. summo Pontifice ita jubente celebretur, & Ordo ipsius, teste S. Antonio (a) vocatus initio est fratrum B. Virg. MARIÆ) tum aliorum Deiparæ servorum, quos in Kalendario suo Ba-

lingem

(a) 3. part. tit. 23. c. 10.

lingem memorat, signata hoc mense memoria? Atq;
utinam perennem beneficiorum ipsius apud Lindam
cursum, bellorum tempestas aliquantū non frenā-
set, dum sensim propinquando, peregrinorum fre-
nat occursum!

I.

Ingruentis belli metu, convasari & aliò trans-
ferri oportuit Lindensem
gazam.

Diu ante sacra templorum è Lituania supellex,
cum ad alia in Prussiam loca, tum ex parte Resse-
lium, subducta erat, ne Moschorum aliarumque har-
pyjarum pateret unguibus. Iam & hæc, & quæ vel
Resselium vel etjam Lindam spectabat, aliò depor-
tanda fuit, ne eorundem obnoxia rapinis esset. Non
sine magno omnium dolore, non sacra duntaxat ve-
stis, aliavé supellex argentea, sed & ipsa, quæ ad A-
ram majorem pendeat facta ex argento anathema-
ta detrahi atq; convasari debuerunt. Præter Crucem
argenteam suæ Thecæ inclusam, duæ aliæ cistæ binos
fere cubitos longæ tum argento tum sacrâ veste pre-
ciosiore onustæ Resselium, inde Gedanum, ad tutio-
ra transmissæ sunt.

II.

Mulier contracta, restituta.

Cum alias sæpissimè, tum his quoque diebus,
plurimi, quanquam catholicæ exsortes fidei; Lin-
dam venerint & situm, ornatum ædis, pietatem
denique ipsam catholicorum admirati, eximie
præ-

prædicarunt Inter hos Dó Georgius Richau, honoratissimus è civitate Domnau, in ducatu Prussia sita & octo leucis Regiomontū versus à Linda abjuncta, ad v. Id. Aug. aderat civis, & tum cætera omnia accuratius contemplatus, tum in Anathematis, votivisque ex argento tabellis, proinde & beneficiis divinis, quæ iisdem aut signantur, aut indicantur, cogitatione quasi defixus, testis è spectatore factus, ultro, nemine prosum requirente, quæ è muliere apud Lindam sanata cognovisset, fide, quæ virum gravem deceat, percensuit Res ante quindecim annos gesta, fuit ea mulier Brunsbergâ oriunda, ibique cum toto esset corpore contracta, & ob musculorum nervorumq; sive torpedinem, sive dissolutionem, de situ corporis propemodum deturbato, Lindâ, quo prævium fecerat votum, deportari securavit. Lindæ plus in Deiparæ ope, quam in humanis, quibus usa esset, præsidii mox experta, omnibus sibi modis restituta est. Inde porro cum sorore ac parvulis filiabus, dum pergit Regiomontum, Domnavia in diversorio posita, quæ memoravimus, quæque dignus fide testis audivit, per occasionem recessit.

III.

Vehemens capitis dolor sublatus.

Christianus Hirsch sartor & civis Brunsbergensis, sed è Boëmia oriundus, ad iv. Idus Aug. comitante uxore, totum iter Brunsbergâ usque pedes mensus Lindæ supplex Deiparæ ad volutus est Tres menses hoc ipso anno, acutissimis capitis doloribus

con-

confixus, nullum, quod inveniri potuit, remedii genus omisit; sed perinde nullum, quod malum à radice tolleret, invenit salutare. Levamen aliquod sentire dolorum potuit, liber doloribus esse non potuit. Ut esse posset, eam, quæ secundùm DEUM omnia potest, DEI Matrem supplex appellavit. Auditus est, hodieque, unà cum conjugè, tantam DEIPARÆ facultatem, sibi autem incolumitatem palàm est gratulatus.

IV.

Mulier amissum, ob paralyin, brachii usum recipit.

Pridie Idus Augusti ex Subsilyvania usque advenit Alberti Sczuble, in Zarnowo pago Augustoviam spectante inquilini vidua Agnes. Per duodecim heu domadas ante triennium gravissimè decubuit, ut se neque loco movere posset. Videbatur ex illo utcunque morbo revaluisse, cùm brachii sinistri, paralyin repente occupati, omnem amisit usum. Non omisit sper tanta clade sua, amicorum exquirere tum auxilia, si quæ essent, tum consilia. Omnibus consultissimum visum, ut ægra peregrinationem voveret Lintam: Vovit, & à voto jam ante annum factò, melius valè habere cepit; proinde, & à voto hodie expleto fiducia animo maximam concepit, brevi fore, ut inimici sui vota atque desideria, circa perfectam brachii sanitatem, videat, & cum gaudio gratuletur per-

Est

V. Do.

V.

Domus peste infecta, servata.

Ipsis Augusti Idibus comitante uxore venit Joannes Law civis Regiomontanus, Treviris oriundus; ut voto, quo biennium adstricti tenebantur, solverentur; præsertim cum morbo, quo affligebantur, vi ac beneficio ejusdem voti, soluti jam tum essent. Illa enim, quam Regiomonti deservisse jam aliàs memoravimus, pestilentia lue, uterque conjux, quin & familia omnis, afflati, intimis visceribus malum haurerant, ut in apostemata, carbunculos, aliaque id genus ulcera, vi erumperet. Quasi nervos malo sædè grassanti succidissent, postquam Deiparæ Lindenlispem, voto peregrinationis edito, ritè implorârunt. Exinde DEI ac DEIPARÆ ope incolumes, totum fere iter ultro citroque pedibus confecerunt,

VI.

Religiosus peste itidem exemptus.

Sub hoc ipsum tempus adfuit Brunsbergâ P. Eduardus Lock scholasticæ, ut vocant, Theologiæ in eo Societatis Jesu Collegio professor, Hybernus patriâ: sed qui in Provincia Lituaniæ studiorum facultatumque superiorum, majore ex parte, decurrerat stadium discendo. Ut idem docendo quoque decurreret, Vilmâ Brunsbergam iturus, è medio cursu propemodum revocatus est ad carceres. Ita nimirum haustâ jam lue conficiebatur, ut nisi voto, quod hisce die

diebus solvit, Lindensis Deiparæ fuisset opem expertus, ne quidem Brunsbergam vidisset unquam. Ita cum Lindam, pedes Brunsbergâ usque venisset, enarravit ipse coram, ita paulò post literis. quarum hæc copiam facio, paulò post ad me scriptis professus. Nuper, inquit ille, cum ibi essem, non habui commoditatem, ut scriberem beneficium à diva Virgine Lindensi perceptum, pro quo votum tunc exolvi. Res ita habet: Cum ante duos annos Vilnâ huc pergerem, eo tempore, quo maxime pestis in Lituania grassabatur, videbar & ego aliquid contraxisse. Certè signa habui vix non manifesta, & iam constitueram, Grodnam non intrare, sed ad aliquod prædium nostrum divertere, ibi potius moriturus. Dum in summis angustiis essem, suggeritur mihi divinitus, ut votum ad B. V. Lindensem conciperem, quod & concepi; eundi scilicet Brunsbergâ pedes ad sacram Tiliam. In ipso momento, quo votum emisi, sensibiliter sum immutatus; ut, qui antea tristissimus, & in summis tadiis fuerim, ex languido alacer, cum stupore omnium sociorum meorum repente latissimus evaserim; qui cibos antea, ne adspicere quidem potuerim, nec quietem capere, illo vespere, etiam frigidos pisces, & sub dio pernoctaturus, comedere potuerim. Plura essent dicenda, sed hoc sufficiet, me sub iuramento affirmare, singulari tunc à beatissima Virgine beneficio fuisse me affectum.

Eduardus Lock
Societ. JESU.

FFF a

CAPUT